



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XIX. Ad milites Christianos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Taceat! In solo Deo quiescat! Ut autem inter tot mundi laqueos vivat eò firmior, atque securior, in cubiculo triplicem suspendat S. Bernardi doctrinam adhortantis: *Considera: unde venis? & erubesces; ubi sis? & ingemisces; quo vadis? & contremisces!*

## EXHORTATIUNCULA XIX.

## Ad Milites Christianos.

## I.

**V**irorum optime! Fidelitas probat Christi militem. Sic magnus Apostolus: *Certa bonum certamen fidei, & apprehende vitam aeternam.* Qui mundi bonis rapiuntur, & illicitis delitiis citò capit, castra refugit JESU, & transit ad diaboli. Sed pro quali stipendio? Dei gratiae, & salutis aeternae dispendio. O miles Christi! Tantine tantam nobis emamus perniciem, & ruinam?

*Instructio meritoria.*

Dux noster est JESUS, & hic Crucifixus. Ut soli adhæreamus, quotidie assuescamus venerari illius sacratissima quinque vulnera per quinque Pater, & Ave cum nostrum commendatione devotissimam. In vulneribus JESU ô quale armarium! Qui eò currit, tutissimus ibit.

## II.

**B**One! Vultne ad vitam ingredi? Ergo Dei mandata servate! Diligite Deum ex toto corde! Diligite & proximum, sicut seipsum. In his duobus universa lex pendet, & prophetæ. O quot

O quot inter occasiones! Quot inter & pericula vos estis, frequentius cadendi, DEum offendendi, proximo multa mala inferendi! Sed memores estote, vos Christi portare nomen, cuius prærogativa: *Benefacere etiam his, qui oderunt vos.*

*Instructio meritoria.*

Horror peccati sit vita Christiani! Amor virtutis sit lorica perfecti militis! utrumque ut tribuat Deus, hodie unum, alterumve sacrum audiat, & sub eo S. Rosarium de quinque mysteriis dolorosis Christo JESU offerat cum pio gemitu: *Domine JESU! Tedeat me vivere sine te! Deleat me autem multa agere, & grandia pati pro te, qui pro me mortuus es in Cruce.*

III.

**B**onus miles ad sanguinem, ad mortem usque decertat. Sola coronatur perseverantia! Ideo bona quotidie crescant opera! Non terreat virtus! Suspice cœlum: & suavis erit. O Vir! Adest in stadio certaminis Deus, ut pugnantem adjuvet: adest, ut & triumphantem gloriouse exaltet. Quid potentius dici possit ad ausus pro Deo? Pro virtute?

*Instructio meritoria.*

Socius sufficit unus, ut animet alterum. Fili! Leva oculos! Ecce! integrum Sanctorum pro Deo decertantium exercitum! Hi ne pugnantem deserant, per septimanam vel semel saltem cum omni devotionis sensu recitet in veneracionem

nem totius Curiæ Cœlestis *Lytanias de omnibus sanctis.* Vel: Tria Rosaria de omnibus quindecim Mysteriis. Faciamus nobis amicos, non de mammona, sed de cœlesti aula. Fratres! Jam non sumus hospites, & advenæ, sed cives domestici, & milites Christi. Vade retro satana!

## EXHORTATIUNCULA XX.

## Ad Plebanos, &amp; Rusticos.

## I.

BOne vir! In sudore vultûs sui vesci debet pane suo. Non contristetur! Non murmurret contra Dominum! Absterget Deus lacrymas ab oculis vestris, & laborem sequetur dulcis requies. Ad laborem nati sumus universi: Sed qui laborant fervidè, sunt paucissimi. Sudemus, ut in vinea Domini operarii inveniantur innumeri. Hoc possumus, dum labori non succumbimus.

*Instructio meritoria.*

Ne humana nos terreat infirmitas, manè surgentes de lecto citò vestibus induamur, & flectentes cum SSS. Trinitate paciscamur, nil cogitare, nil loqui, vel operari nos velle hac die, nisi in & pro nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Mox duodecim Pater, & Ave cum totidem *Gloria Patri* subdamus. Surgentes verò domum benedicamus, Crucifixum in dextera tenentes, & versus quatuor domûs angulos flectentes pronuntiandô: Benedi † cat nos